

tui exteriori; & hic est ultimus gradus, & quartum membrum, scilicet peccatum consuetudinis quia cum post actum exteriorum non sit aliquis actus alterius generis, oportet quod ultimus gradus peccati sit secundum multiplicationem huiusmodi actuum.

Ad primum ergo dicendum, quod divisio alicuius potest esse multipliciter: vel sicut generis in species, vel sicut subjecti in accidentia, vel etiam aliis modis, quos Boetius (a) (divis. circa princ. (numerat.)) Divisio ergo generis in species, vel differentias primas, non est nisi una; sed divisio subjecti in accidentia potest esse multipliciter, secundum quod uni multa accidunt. Dicendum ergo, quod divisio peccati in species suas essentielles, est per oppositum virtutis; quia oportet quod sit secundum objectum, ex quo specificatur peccatum, & virtus: & talis distinctio peccatorum hic non ponitur; sed ponuntur quedam distinctiones secundum aliqua peccati accidentia; & ideo non est inconveniens, si sunt plures.

Ad secundum dicendum, quod in peccato cogitationis intelligitur omne peccatum quod in solo interiori actu consistit: & ideo includitur etiam affectio, sine qua nullum peccatum est.

Ad tertium dicendum, quod quamvis lingua sit exterior membrum, tamen inter alia est magis propinquum interiori actu, secundum quod congruit (1) locutioni, quia locutio est signum interioris actus; & ideo quemdam gradum habet in progressu peccati locutio, inter peccatum cogitationis, & operis.

Ad quartum dicendum, quod consuetudo est quedam circumstantia aggravans peccatum ex multiplicatione ipsorum actuum, & ideo in consuetudine est ultimus progressus peccati: & ideo non ponitur consuetudo quasi conditio contra actum simpliciter, sed conditio contra actum non consuetum, sicut est in divisione totius potestatis.

Ad quintum dicendum, quod secundum opinionem illorum qui dicunt, quod in peccato omissionis requiritur aliquis actus interior, vel exterior, peccatum omissionis includitur in peccato cogitationis, locutionis, & operis; & similiter secundum alios qui dicunt, quod non requiritur ibi actus exterior: quia sic facere includit non facere, & sic de aliis, ut supra dictum est.

SOLUTIO II.

Ad id quod ulterius queritur, dicendum est, quod sicut omnis virtus est iustitia quodammodo, ut dicit Philosophus V. Ethic. (cap. 11.) ita omne peccatum est iniustitia. Iniustitia autem est ex hoc quod detrahitur alicui quod sibi debetur; & ideo iniustitia habet quasi (2) duo objecta; scilicet illud quod detrahitur, & hoc est proprie materia actus, & unde peccatum specificatur: & ille cui detrahitur, sicut homo cui per iniustitiam aufertur res sua; & penes hoc objectum sumitur hæc peccati divisio: quia homo aliquid debet Deo, sibi, & proximo. Deo debet amorem, & reverentiam, & huiusmodi: unde quando ab his deficit, dicitur peccare in Deum. Sibi debet munditiam, & ordinationem sui sub regimine rationis, & huiusmodi; & quando in his deficit, dicitur in seipsum peccare. Proximo autem quæ debeat planum est; & quando in his deficit, dicitur in proximum peccare; & idem est; si contraria horum faceret.

(1) Al. in locutione. (2) Al. decet duo.
Ex Edit. P. Nicol. (a) Ut videre est Lib. I. in Porphyrium à Victorino translatum ferre ab initio, sed plenius, & expressius in tractatu qui de divisione inscribitur.

Ad primum ergo dicendum, quod non dicitur homo in Deum peccare, quia Deum in aliquo lædat; sed quia Deo subtrahit quod ei debet, & quantum in ipso est, ejus gloriam minuit; quamvis hoc facere non possit.

Ad secundum dicendum, quod quilibet naturaliter seipsum amat; & ideo unusquisque amat hoc quod se esse aestimat. Quidam autem aestimant, & vere, se esse id quod secundum intellectum sunt; quia hoc homo est homo; & ideo appetunt sibi ea quæ sunt bona secundum intellectum; & rationem vel directe vel indirecte. Quidam vero aestimant se esse quod non sunt, & falso, propter naturam sensibilem, quæ exterius apparet; & ideo diligunt in se naturam sensibilem, appetentes ea quæ sunt secundum sensum delectabilia; & quia huiusmodi sunt mala eis, & nociva secundum id quod vere sunt, ideo sibi ipsis nocent, & se odiunt actu, non affectu.

Ad tertium dicendum, quod hominem diligere se, nihil aliud est quam se Deo velle uniri, quia homo se propter Deum debet diligere: & ideo in dilectione Dei includitur dilectio sui ipsius. Non autem peccatum quod est in Deum, est ratio peccati quo homo in seipsum peccat: & ideo non est similis ratio utrobique.

Ad quartum dicendum, quod distinctio ista sumitur secundum illud in quod directe peccatur. Sed quando aliquis peccat in proximum, peccat quidem in se ipsum, & in Deum, sed ex consequenti: & si militer quando peccat in se, peccat in Deum; & è converso: & ideo objectio non procedit.

SOLUTIO III.

Ad illud quod ulterius queritur, dicendum, quod ista divisio peccatorum quæ est secundum nomina attenditur penes ea ex quibus actus regulatur, scilicet præcepta legis; & hoc dupliciter: quia vel secundum distinctionem præceptorum in se; & sic delictum respicit præcepta affirmativa, & peccatum præcepta negativa: vel secundum quod diversimode peccans à præceptis deficit: quia vel deficit à præceptis secundum rationem per ignorantiam: & sic est delictum; vel secundum voluntatem per contemptum, & sic est peccatum: & sic patet ratio duplicis expositionis.

Ad primum ergo dicendum, quod sapiens bene curat nomina, secundum quod expriment proprietatem rerum, & non propter se: & quia ex diversis rationibus peccatorum essentielles eorum differentia inveniuntur, ideo non fuit inconveniens hanc divisionem ponere.

Ad secundum dicendum, quod quamvis peccatum nominet aversionem: tamen proprie loquendo non nominat aversionem, sed magis actum aversioni conjunctum: differt enim ommissio ab aversione: ommissio enim dicitur propter defectum actus debiti, sed aversio propter recessum à fine.

Ad tertium dicendum, quod qui ignoranter aliquid facit, involuntarius facit: & ideo magis peccat in hoc quod cognitionem eorum dimittit quæ teneretur cognoscere, quam in hoc quod talia agit: & propter hoc peccatum per ignorantiam, delictum potest dici.

AR-

ARTICULUS III.

Utrum divisio capitalium vitiorum sit competens.

1.2. quæst. LXXXIV. art. 4. & de malo quæst. VIII. art. 1.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur incompetens esse divisio vitiorum capitalium quæ in littera ponitur. Quia illud ex quo oriuntur alia, & quod aliis peccatis principatur, videtur esse peccatum caput. Sed superbia, ut dicit Gregorius (super Job cap. xxxiv.) est ex qua omnia peccata oriuntur, & est quasi regina omnium peccatorum. Ergo ipsa sola debet dici vitium capitale, vel saltem ipsa, & avaritia, ex qua alia oriuntur, ut in littera dicitur.

2. Præterea. Capitale principale dicitur. Sed quod imperfectam rationem peccati habet, principale peccatum non est. Cum ergo veniale imperfectam rationem peccati habeat, videtur quod peccatum veniale non possit esse peccatum capitale. Sed multa de istis vitiis quæ inter capitalia computantur: & fere omnia; quandoque sunt venialia. Ergo inconvenienter dicuntur capitalia.

3. Præterea. Capiti respondet membrum. Sed vitia quæ ex istis vitiis hic numeratis oriuntur, dicuntur à Gregorio filia, & non membra. Ergo ista vitia non debent dici capita, sed matres.

4. Præterea. Proverb. vi. 16. ubi dicitur: *Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima ejus*: dicit Glossa, quod numerantur ibi septem vitia capitalia. Sed nullum eorum quæ ibi dicuntur, est aliquid eorum quæ hic numerantur: Ergo videtur quod sint ad minus quatuordecim.

5. Præterea. Non est aliquid vitium quod interdum ex alio oriri non possit. Si ergo capitale vitium est ex quo alia oriuntur, videtur quod omnia peccata sint capitalia.

6. Præterea. Plura sunt vitia quam virtutes: quia uni virtuti plura vitia opponuntur. Sed virtutes principales sunt septem: tres theologice, & quatuor cardinales. Ergo peccata capitalia debent esse plura quam septem.

7. Præterea. Fides est fundamentum virtutum, ut dicitur Rom. xi. Sed infidelitas fidei opponitur. Ergo infidelitas debet computari inter vitia capitalia, præcipue propter id quod dicitur Sapient. xiv. quod infandorum idolorum cultura, omnis mali principium est, & origo.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod vitium capitale dicitur vitium ex quo alia vitia oriuntur: unde in hoc differt capitale peccatum à radice peccati, quia capitale peccatum est peccatum quoddam, radix autem peccati non est peccatum: si proprie sumatur, ut ex prædictis patet. Peccatum autem ex peccato oritur quatuor modis, ut supra xxxvi. distinctum est. Unus modus est ex parte aversionis, secundum quod gratiam privat, qua privata, homo in peccatum ruit. Sed ista origo non est nisi per accidens, quia primum peccatum causat secundum, sicut removens prohibens: caput autem nominat per se originem: & ideo per modum istum non potest dici proprie vitium capitale. Alio modo ex parte conversionis, secundum quod ex actu peccati.

In II. Sent. Tom. II.

(1) Vulgata: *Procul odoratur bellum, exortationem &c.* (2) Nicolai ubique *acedia.* (3) Al. proportionem.

cati relinquatur habitus, & ex habitu iterum procedit actus; & secundum hanc originem non potest dici vitium capitale, quia hic non est origo peccati ex peccato directe, sed mediante habitu. Alio modo peccatum oritur ex peccato, inquantum unum peccatum alteri materiam administrat, sicut luxuria gula: & quia res non habet esse secundum materiam, sed secundum formam; ideo non complete oritur peccatum ex illo peccato quod materiam præstat; & propter hoc nec adhuc invenitur perfecta ratio capitalis vitii. Quarto modo oritur peccatum ex peccato quod ordinatur in finem illius, sicut cum quis ad habendum pecuniam furatur, furtum ex avaritia nascitur: & quia in moralibus species est à fine, ideo hæc est formalis, & completa origo peccati ex peccato; & secundum hanc originem proprie dicitur vitium capitale, & salvatur ibi metaphora capitis, secundum quod principem alicujus exercitus caput in exercitu dicimus, quia princeps est exercitus, ad cuius bonum totus exercitus ordinatur, ut ex X. Metaphys. (text. LII.) patet: & per hunc modum illud vitium ad cuius finem alia ordinantur, caput eorum dicitur. Et ideo Gregorius ponit vitia capitalia quasi duces exercitus, & alia vitia quæ ex eis oriuntur, ponit exercitus eorum, exponens illud Job. xxxix. 25. (1) *Audit clamorem dum, & ululatum exercitus.* Et quia finis semper est magis appetibile eo quod est ad finem, ideo oportet ut illa peccata præcipue capitalia dicantur in quorum fines appetitus corruptus magis natus est tendere. Huiusmodi autem sunt peccata illa quæ circa principalia objecta sensibilibus potentiæ sunt: quia ex corruptione sensualitatis peccata in nobis oriuntur. Appetitus autem sensibilis in duas vires dividitur, scilicet irascibilem, & concupiscibilem, Concupiscibilis autem objectum est delectabile, & conveniens secundum sensum: & ideo peccatum capitale quod in concupiscibili est, vel est ex hoc quod inordinate desiderat delectabile secundum sensum, vel ex eo quod inordinate fugit impedimentum huiusmodi delectationis. Si primo modo, hoc est dupliciter: vel ex eo quod appetitus tendit in id quod est ordinatum ad delectabile sensus, cuiusmodi sunt bona exteriora; & sic est *avaritia*: vel ex eo quod appetitus inordinate tendit in ipsum delectabile sensus. Perfecta autem delectatio secundum sensum, est secundum tactum, & gustum, prout est tactus quidam, quia est secundum applicationem ipsius rei ad sensum: & ideo circa delectabile tactus absolute est unum vitium capitale, scilicet *luxuria*; & circa delectabile gustus, prout est tactus quidam, est aliud, scilicet *gula*. Sed ex eo quod fugitur inordinate impedimentum delectationis sensibilis, est (2) *acedia*, quæ est tedium spiritualis boni, secundum quod impedit delectationem aliquam dissolutam. Objectum autem irascibilis proprie est arduum, vel magnum aliquid in quod homo niritur. Ergo capitale peccatum in irascibili potest esse dupliciter: vel ex eo quod irascibilis inordinata fertur in arduum; & sic proprie est *superbia*, vel *inanis gloria*: vel ex eo quod contra tendit ad id quod est ardui impedimentum. Sed hoc potest esse dupliciter: quia illud impeditivum contra quod tendit, vel impedit directe in contrarium agendo, sicut impugnans aliquem impedit (3) promotionem ejus; & sic est *ira*, quæ est appetitus in vindictam: vel indirecte; & sic est *invidia*, quæ est dolor alieni boni.

Fff

ni,

ni, secundum quod illud bonum estimatur impedivum propriae excellentiae.

Ad primum ergo dicendum, quod avaritia, sive cupiditas, tripliciter dicitur. Uno enim modo nominat passionem, vel pronitatem ac passionem ex originali relicta; & sic non est peccatum, sed radix peccati. Alio modo secundum quod dicitur inordinatus appetitus cujuslibet boni commutabilis, sive scientiae, sive honoris, sive pecuniae, sive cujuscumque; & sic avaritia, vel cupiditas, est genus omnium peccatorum: unde super illud ad Rom. vii. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*, Glossa: „Bona est lex; quae dum concupiscentiam prohibet, omnia mala prohibet.“ Tertio dicitur avaritia, vel cupiditas secundum quod est inordinatus appetitus rerum exteriorum, quae ad usum vitae pertinent; & sic est quoddam speciale peccatum. Similiter etiam superbia tribus modis dicitur. Uno modo ipse habitualis contemptus praecipui, & praecipientis, ex corruptione naturae proveniens, vel ex quocumque defectu creaturae: & sic non est peccatum, sed initium peccati. Alio modo dicitur appetitus excellentiae in quibuscumque, quia quicumque appetit aliquid (1) inordinare, vult quodammodo excellere in illo; ideo hoc modo superbia, ut fertur ad omnia peccata, commune est, secundum quod est desiderium cujuscumque excellentiae. Tertio modo dicitur: secundum quod est inordinatus appetitus illius excellentiae determinatae, cui debetur honor & reverentia; & sic est speciale peccatum. Dicendum est ergo, quod sumendo primo modo superbiam, & cupiditatem, ex eis oriuntur omnia vitia, sicut ex radice, vel initio, & non sicut ex peccato capitali. Loquendo de utroque, secundo modo, oriuntur ex eis omnia peccata, sicut species ex genere. Loquendo autem de eisdem tertio modo, sic oriuntur ex eis quaedam specialia vitia, sed interdum ex eis omnia vitia possunt oriri; & frequentius ex aliquo eorum oriuntur omnia quam ex quovis alio vitio: cujus ratio est communis obiectorum ipsorum: quia obiectum avaritiae, scilicet pecunia, promittit sufficientiam in omnibus quae sunt homini necessaria; & ideo facillime affectus inclinatur in hoc: similiter etiam excellentiam, quae est obiectum superbiae, videtur esse magis propinquum bonum ipsi homini; & ideo appetitus facile inclinatur in illam, & etiam magis quam in avaritiam; quia pecuniam nullus diligit, nisi propter aliud quod ex ea consequi intendit, ut in I. Ethic. dicitur; sed excellentia est quoddam propter se desideratum.

Ad secundum dicendum, quod quamvis veniale peccatum non habeat principalitatem in ratione peccati, potest tamen habere principalitatem in finem ad quem alia ordinantur; & ideo nihil prohibet veniale peccatum esse capitale vitium.

Ad tertium dicendum, quod unum vitium dicitur caput alterius, secundum quod aliud vitium ex eo oritur: & quia in nomine filiationis magis exprimitur origo quam in nomine membri, ideo potius vitia ex his generata dicuntur filiae, quam membra; & vitium ex quo generatur, dicitur potius caput per modum originis, ut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod vitium capitale ibi sumitur vitium grave, quod poena capitis plectendum est; & ideo aequivocatio est de capitali.

Ad quintum dicendum, quod quamvis quodlibet vitium ex quolibet possit oriri, tamen quaedam vitia

(1) Al. ordinare. (2) Al. qua prohibeat. (3) Al. deest Ergo non est superbia.

sunt in quae homo facilius inclinatur etiam per se, & illa ponuntur capitalia vitia; & quaedam vitia sunt in quae non facile inclinatur aliquis, nisi propter finem alterius vitii, & huiusmodi dicuntur esse filiae capitalium vitiorum; & secundum quod directius potest reduci in finem unius vitii quam alterius, secundum hoc unum vitium assignatur potius filia unius capitalis quam alterius, quamvis ex diversis interdum oriatur.

Ad sextum dicendum, quod plura sunt vitia quam virtutes; non tamen oportet quod plura sint vitia capitalia quam virtutes principales: quia circa unam materiam in qua est virtus, possunt esse diversa vitia; sed tamen non omnia habent principale obiectum in, in quod facile animus inclinatur.

Ad septimum dicendum, quod fides est fundamentum, in quantum habet in se rationem cognitionis, quia ex cognitione affectio quodammodo generatur; sed infidelitas est privatio cujusdam cognitionis: & ideo per se non potest causare affectionem, sed per accidens, sicut removens cognitionem (2) quae prohibet peccatum; per modum quo ignorantia est causa peccati: & hoc modo dicitur idolorum cultura omnium malorum origo esse. Sed iste non est modus quo alia vitia ex capitalibus oriuntur, ut dictum est.

ARTICULUS IV.

Utrum species superbiae convenienter assignentur.

2. 2. *quest. cxxvi. art. 4. & de malo quest. viii. art. 4.*

1. **A**D quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter species superbiae assignentur. Credere enim aliquid quod est contrarium articulo fidei, est peccatum infidelitatis. Sed omnia bona esse a Deo, continentur in articulis fidei, ut patet in symbolo, ubi dicitur factor visibilium, & invisibilium. Ergo videtur quod cum aliquis sibi tribuit bonum quod habet, & non a Deo recognoscit, sit infidelitatis peccatum, & non superbiae.

2. Praeterea. Nullus peccat credendo quod verum est. Sed verum est multa bona homini pro meritis dari. Ergo videtur quod non sit peccatum superbiae credere aliquid sibi pro meritis a Deo datum esse.

3. Praeterea. Unum non potest esse contrarium duobus. Sed Philosophus ponit jaectantiam contrarium virtuti quae dicitur veritas, in IV. Ethic. cap. xvi. Ergo non contrariatur humilitati; & ita non est species superbiae sicut in littera dicitur.

4. Praeterea. Ille cui omnia videntur parva, omnia despicit. Sed magnanimo omnia parva videntur, ut Philosophus in IV. Ethic. cap. x. dicit. Ergo magnanimitas est alia despiciere. Sed illud quod est virtutis, non est superbiae. (3) Ergo non est superbiae quod homo caeteris despectus singulariter velit videri.

5. Praeterea. Ingratitudo, & inobedientia, & multa alia vitia species superbiae assignantur. Ergo cum de his non fiat in littera mentio, videtur quod insufficienter assignentur species superbiae.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum

phum, rectum est iudex sui ipsius, & obliqui, ut dicitur I. de Anima text. lxxxv. & ideo ex virtute in cognitionem vitii oppositi procedendum est. Quia vero oportet ut vitium illi virtuti opponatur cum qua in obiecto communicat, sicut luxuria castitati; obiectum autem superbiae est altum, vel arduum; ideo oportet quod magnanimitati opponatur, cujus est in magna tendere. Sciendum autem, quod magnanimitas mediocriter tendit in magna. Sed haec mediocritas non attenditur secundum quantitatem ejus in quod tendit, quia hoc in quod tendit magnanimus, est maximum quantumcumque potest esse; sed attenditur mediocritas in duobus, scilicet in electione magni, & in proportionem sui ad magnum. In electione magni dico: quia tendit in id quod est magnum simpliciter, quod est scilicet actus virtutis perfectus; non autem tendit principaliter in id quod est magnum secundum quid, sicut sunt exteriora bona, inter quae praecipue magnum est honor. Non enim magnanimitas honorem querit tanquam finem voluntatis suae, quia hoc nimis sibi parvum reputat, cum sit vanum, & transitorium bonum: unde non multum curat honorari; sed fieri honore dignum, secundum, quod honor est testimonium virtutis. Item mediocritas attenditur in hoc quod non tendit in quocumque magnum quod sibi improporionatum sit, sed in magnum quod potest esse sibi proportionatum: & ideo nullus potest esse magnanimus, nisi virtuosus, qui est habilis ad magna: & propter hoc etiam Philosophus dicit (IV. Ethic. cap. 111.) quod magnanimitas est ornamentum virtutum omnium: quia magnanimitas inclinatur ad faciendum magna in omnibus virtutibus, ut quod faciat maximos actus fortitudinis, temperantiae, & huiusmodi: & secundum haec duo inanis gloria, & superbia sunt oppositae magnanimitati: quia inanis gloria non tendit in id quod est magnum simpliciter, & quod magnanimitas per se querit, sed in magnum, exterius, ut in laudem, vel honorem, vel aliquid huiusmodi; superbia vero tendit in magnum simpliciter, sed non secundum proportionem suam: & ideo quia actus fortitudinis est maxime arduus, & difficilis, propter hoc superbus praecipue anhelat ad superabundantiam fortitudinis: & ideo dicit Philosophus in III. Ethic. cap. xv. quod superbus vult videri audax. Quod autem tendit in aliquid magnum non sibi proportionatum, potest contingere dupliciter. Aut quia illud simpliciter, secundum se, & absolute deficit sibi; & secundum hoc est tertia species, quae jaectantia dicitur. Aut quia quamvis habeat, non tamen habet eo modo excellenti sicut nititur. Iste autem modus excellens est duplex, secundum duplicem modum quo aliquid est in causa excellentius quam in causato. Causa enim abundantius, & perfectus habet aliquid quam causatum, sicut ignis calorem quam (1) elementata; & secundum hunc modum excellentiae est quarta species, quia vult singulariter videri. Item quod est causa, non habet ab alio, sed a se, in quantum est causa huius quod in effectu ab alio est; & secundum hoc sunt duae primae species superbiae: quia secundum primam speciem superbiae attribuit sibi hoc quod habet tanquam non ab alio sibi sit datum; secundum autem secundam attribuit sibi sicut causae meritoriae.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum superbiae non est in sola cogitatione, sed in affectione.

In II. Sent. Tom. II.

(1) Nicolai elementa. (2) Al. immediate consistens. (3) Al. quasi indivisibili: forte etiam in indivisibili.

non enim superbus hoc credit, quod aliquid bonum sit quod non est a Deo; sed hoc modo se de bono quod habet, magnificat, ac si ab alio non haberet.

Ad secundum dicendum, quod merita nostra insufficientia sunt ad ea quae pro meritis redduntur; & praeterea ipsorum meritorum non solum causa sumus nos; sed principalis causa est gratia, quae a Deo tantum est.

Ad tertium dicendum, quod jaectantia, secundum quod dicit quendam exteriorem ostensionem per verba, vel gestus, ejus quod intus non habetur, est oppositum veritati; sed secundum quod jaectantia dicit quendam excellentiam, qua animus hominis seipsum extollit interius de eo quod non habet, opponitur humilitati, & est species superbiae.

Ad quartum dicendum, quod magnanimo omnia parva videntur, non quia bona aliorum despiciat; sed quia nihil est in humanis actibus quod tanquam insolitum admiretur, cum cogitatio sua sit ad faciendum maxima quaeque: propter quod dicit Philosophus, quod magnanimus non est admirativus.

Ad quintum dicendum, quod inobedientia, & ingratitude non sunt species superbiae, quasi essentialiter superbiam dividentes; sed dicuntur superbiae species in quantum participant aliquid superbiae, secundum quod a superbia imperantur.

ARTICULUS V.

Utrum omnia peccata sint paria.

1. 2. *quest. clxiii. art. 4. & de malo quest. 11. art. 8. & III. cont. Gent. cap. cxxxix.*

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod omnia peccata sint paria. Virtus enim est aequalitas quaedam, eo quod est (2) in medietate consistens. Sed aequalitas non est, nisi uno modo, (3) quasi indivisibilis existens. Ergo illud quod privat virtutem, totam eam privat. Sed privatio non recipit magis & minus, nisi forte secundum hoc quod habitus vel totus, vel in parte privatur. Ergo & peccatum, quod dicitur per privationem virtutis, non recipit magis & minus.

2. Praeterea. Albus est quod est nigro impermixtius, ut Philosophus dicit (III. Topic. cap. 1v.) Sed quodlibet vitium est omnino impermixtum virtuti, quia nihil virtutis est in vitio. Ergo unum vitium non est gravius alio.

3. Praeterea. Si esset praecipuum alicui quod catenam non transgrederetur, quicumque eam transiret, puniretur; nec esset differentia utrum eam per unum passum, vel per duos transiret, quia aequaliter pro utroque puniretur. Sed praecipuum legis divinae, & legis naturalis est ut homo rectitudinem virtutis non transeat. Ergo qualitercumque aliquis extra rectitudinem virtutis fiat, non differt; & ita omnia peccata sunt paria.

4. Praeterea. Eadem imperitia imponitur nautae, sive navis in pelago, sive in littore submergatur. Sed sicut nauta per artem suam regit navem, ne pereat; ita homo per virtutem suam regitur, ne in actu peccet. Ergo idem praecipuum est virtutis, qualitercumque homo in peccatum ruat.

5. Praeterea. Ex hoc aliquid est malum, quia nocet, ut Augustinus (de Civ. Dei Lib. XII. cap. 111.)

Eff 2

dicit. Sed omne peccatum mortale æqualiter nocet, eo quod quodlibet peccatum mortale privat omnes virtutes. Omnia ergo peccata, mortalia saltem, sunt æqualia.

6. Præterea. Æqualitas est in omnibus virtutibus propter caritatem, quæ est mater earum, sicut dicitur Apoca. penult. quod latera civitatis sunt æqualia. Sed similiter omnium peccatorum mater est cupiditas, ut in littera dicitur. Ergo omnia peccata sunt paria.

Sed contra. Peccatum nihil aliud est quam quædam obliquatio à rectitudine virtutis. Sed contingit lineam unam magis esse curvam quam aliam, ut ex IV. Phisic. text. LXXXIV. potest accipi. Ergo contingit unum peccatum esse majus alio.

Præterea. Sicut falsitas est recessus ab æqualitate veritatis, ita & peccatum est recessus ab æqualitate virtutis. Sed contingit esse falsitatem magis & minus, sicut dicit Philosophus in IV. Metaph. text. XVIII. quod error æstimantis tria esse quinque non est tantus sicut error æstimantis tria esse mille. Ergo & peccatum contingit esse gravius alio peccato.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Stoicorum opinio fuit (quod Tullius imitatur, ut in Libro de paradoxis patet) omnia peccata paria esse: cujus positionis ratio fuit, quia æstimaverunt bonitatem virtutis esse in quodam indivisibili, ex eo quod virtus non est nisi ex debita proportione omnium circumstantiarum ad actum, quod non contingit nisi uno modo: & ideo virtus comparatur his quorum ratio in indivisibili est, idest quæ tantum uno modo contingit, sicut comparatur æqualitati, rectitudini, & centro circuli. Unde putaverunt quod nihil de bonitate remaneat, quantumcumque ab hoc indivisibili discedatur: & quia per quodlibet peccatum ab hoc indivisibili disceditur, ideo putaverunt sequi, quod omnia peccata essent paria. Sed hæc positio ex quatuor falsis videtur sequi. Primo quia secundum opinionem Socratis, quæ tangit VI. Ethic. (cap. ultim.) ponebant virtutem, & scientiam idem esse: & ideo cum eadem sic scientia rectificandi se in omnibus humanis actibus, ex omnibus virtutibus unam conflagant; quam sapientiam dicebant: & ideo non erat disparitas vitiorum ex oppositione ad diversas virtutes. Hoc autem falsum est, ut ibidem Philosophus ostendit: quia virtus præter scientiam est habitus inclinans ad id quod est rationi conveniens. Secundo quia ratio virtutis non est omnino in indivisibili: quia, ut in II. Ethic. (cap. IX. Græc-lat.) dicitur, non oportet semper medium attingere ad hoc quod sit opus virtutis, sed sufficit circa medium esse; sed verum est quod perfectio virtutis in indivisibili consistit. Tertio quia etsi ratio virtutis omnino consisteret in indivisibili, non tamen ratio bonitatis in indivisibili consistit, sicut nec ratio perfecti: eo quod contingit perfectionem perfectioni superaddi, quarum unaquæque rationem bonitatis causat, & ideo minor est bonitas, si duæ perfectiones subtrahantur quam si una tantum: & secundum hoc si non esset virtus, nisi quando actus esset perfectus secundum omnes circumstantias omnino ad medium concurrentes, tamen unaquæque circumstantia suam bonitatem haberet: & ideo peior actus esset in quo corrumperentur duæ circumstantiæ quam in quo corrumperetur tantum una. Quarto quia etsi ratio bonitatis in indivisibili sit, & negatio secundum magis & minus non dicatur in se; tamen quantum ad causam

suam intenditur, & remittitur; sicut dicitur magis cæcus cui ex toto erutus est oculus, quam qui ex aliquo humore ad pupillam concurrente visum amittit; quamvis uterque cæcus sit: & per hunc modum etiam inæqualitas dicitur secundum magis & minus: quia distantia ab æqualitate, quæ æqualitatem tollit, potest esse major, vel minor: & per hunc etiam modum, secundum majorem, vel minorem distantiam à bonitate, posset actus dici magis, vel minus malus. Et ideo simpliciter concedendum est, unum peccatum alio gravius esse. Hoc autem contingit duobus modis. Uno modo ex parte ipsius peccati in se, alio modo ex parte peccantis. Ex parte peccati in se, accidit major, vel minor gravitas peccati ex illa causa ex qua quis actus secundum se dicitur. Hoc autem est secundum quod actus discordat à rectitudine rationis. Unicuique enim naturæ indita est naturalis quædam inclinatio in suum finem; & ideo in ratione est quædam naturalis rectitudo, per quam in finem inclinatur: & ideo illud quod abducit à fine illo, est discordans à ratione: & quia lex naturalis est secundum quam ratio recta est, ideo Augustinus dicit (contra Faustum Manich. Lib. XXII. cap. XXVII.) quod peccatum dicitur, in quantum discordat à lege æterna, cujus expressio est ipsa lex naturalis. Quanto ergo aliquis actus magis abducit à fine humanæ vitæ, tanto in se gravius peccatum est; sive hoc contingat ex materia circa quam peccatur, sive ex corruptione plurium, vel paucarum circumstantiarum. Ex parte autem peccantis etiam peccatum est gravius quantum ad duo; vel propter majorem contemptum, vel etiam propter majorem libidinem: quorum primum respicit aversionem, & secundum conversionem peccati. Sed ista gravitas accidentalis est peccato, secundum quod in genere suo consideratur: quia illud quod ex genere suo est levius, potest esse gravius, cum ex majori libidine, vel contemptu fit.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis virtus sit æqualitas, non tamen oportet ad esse virtutis quod ad omnimodam æqualitatem perveniat: hoc enim est de perfectione virtutis: & ideo virtus intenditur, & remittitur vel ex parte ipsius actus, qui tanto virtuosior est, quanto ad æqualitatem magis accedit; vel ex parte operantis, qui quanto perfectiori habitu operatur, tanto actus ejus virtuosior est, etiam si sit actus ejusdem generis: & similiter est de peccato. Et præterea si etiam virtus esset uno modo tantum, ratio non procederet, sicut ex prædictis patet.

Ad secundum dicendum, quod in quolibet peccato est aliquid virtutis: virtus enim constituitur ex æqualitate omnium circumstantiarum. Non est autem possibile, ut Philosophus in IV. Ethic. cap. XII. dicit, ut omnium circumstantiarum corruptio fiat: & ideo aliquid virtutis in actu peccati remanet: & ideo habet peccatum aliquam permutationem ad virtutem: & ideo ratio non procedit.

Ad tertium dicendum, quod aliquid est in se malum, & aliquid malum est tantum, quia prohibitum. In illis ergo quæ sunt mala, quia prohibita tantum, non differt, utrum parum, vel multum à præcepto elongetur ex parte ipsius actus; quamvis differat ex parte agentis, secundum quod majorem, vel minorem contemptu potest facere. Hujus ratio est, quia in tota ratio malitiæ est ex hoc quod non servat præceptum: & ita ratio bonitatis est in eo quod institutum est per præceptum: & ideo si hoc tollitur, nil bonitatis manet. Sed non omnia peccata sunt hujusmodi: & ideo ratio non procedit.

Ad

EXPOSITIO SECUNDÆ PARTIS TEXTUS.

Præterea sciendum est, septem esse vitia capitalia. Videtur inconvenienter numerare vitia capitalia: quia superbia est aliud ab inani gloria: ergo inanis gloria male ponitur loco superbiæ. Sed dicendum, quod quia, ut ostensum est, superbia habet majorem aptitudinem ut ex ea omnia vitia alia oriuntur, quam aliquod aliorum; ideo Gregorius (Lib. XXXI. Moral. cap. XVII.) non posuit superbiam quasi speciale caput vitiorum, sed quasi caput universale omnium, & nominavit eam reginam omnium vitiorum, & loco ejus inter vitia capitalia posuit inanem gloriam, quæ est propinquissima filia sua. Isidorus autem considerans quod ex superbia omnia alia generantur, sed quædam frequentius, quæ magis cum ipsa conveniunt, ponit ibi superbiam speciale caput horum vitiorum quæ ut frequenter ab ea oriuntur; & ideo computavit eam inter septem vitia capitalia, ut patet Deuter. VII. in Glossa. (a)

DISTINCTIO XLIII.

De peccato in Spiritum Sanctum, quod dicitur etiam peccatum ad mortem.

EST præterea quoddam genus peccati ceteris gravius, & abominabilis, quod dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, de quo in Evangelio Veritas ait Matth. XII. 32. Qui peccaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei nec hic, nec in futuro: & Joannes in Epistola canonica I. cap. v. 16. Est peccatum ad mortem, (2) non pro eo dico ut quis oret. Qui enim peccat in Patrem, remittetur ei; & qui peccat in Filium, remittetur ei: qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei nec in futuro.

Quid sit illud peccatum.

SED quæritur, quid sit illud peccatum in Spiritum Sanctum, vel ad mortem. Quidam dicunt illud esse peccatum desperationis, vel obstinationis. Obstinatio est in malitia mentis indurata pertinacia, per quam fit homo impœnitens. Desperatio est qua quis penitus diffidit de Dei bonitate, æstimans suam malitiam divinæ bonitatis magnitudinem excedere. Sicut Cain, qui dixit Gen. IV. 13. Major est mea iniquitas quam ut veniam merear. Utrumque vero dicitur peccatum in Spiritum Sanctum: quia Spiritus Sanctus amor est Patris, & Filii, & benignitas qua se invicem, & nos diligunt: quæ tanta est, cujus finis non est. Recte ergo in Spiritum Sanctum delinquere dicuntur qui sua malitia Dei bonitatem putant superare, & ideo penitentiam non assumunt; & qui iniquitati tam pertinaci mente inhærent ut eam nunquam derelinquere proponant, & ad bonitatem Spiritus Sancti nunquam redire velint, patientia Dei abutentes, & de misericordia Dei nimis præsumentes: quibus placet malitia propter se, sicut piis bonitas. Isti nimia pertinacia, & præsumptione peccant: autumantes Deum non esse justum; illi desperatione Deum non bonum æstimant, tollentes in hoc turbulentiissimo iniquitatum mari portum divinæ indulgentiæ quo se recipiant fluctuantes, atque ipsa desperatione addunt peccata peccatis, dicentes: Misericordia nulla est, & super peccatores necessaria damnatio deberet.

An omnis obstinatio, vel desperatio peccatum sit in Spiritum Sanctum.

SED quæritur, utrum omnis obstinatio mentis in malitia obdurata, omnisque desperatio sit peccatum in Spiritum Sanctum. Quidam dicunt, omnem obstinationem, & desperationem peccatum esse in Spiritum Sanctum: quod si est, aliquando illud remittitur: quia multi etiam obstinatissimi, & desperatissimi convertuntur, ut Augustinus ait super illum locum Psalmi LXVII. Convertam in profundum maris; idest eos qui erant desperatissimi: & ibi Psal. CLXVI. Mittit crystallum suam sicut frustra panis; idest, obstinatos facit aliorum doctores. Talium conversio ibi etiam evidenter ostenditur, ubi ait Psal. LXVII. 8. Qui educit vincetos in fortitudine, similiter, & eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris. Secundum istos peccatum illud dicitur irremissibile, non quin aliquando remittatur, sed quia vix & raro,

(1) In editis puniendi. (2) Vulgata: non pro illo dico ut roget quis.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Ita Isidorus in hunc Deuteronomii locum: De superbia contemptus, invidia, inobedientia, blasphemia, murmuratio, detractio, & similia quamplurima.